

p regnis, nouisque terminis, peregrina nouaque intendere et introducere dogmata. *Infusionem* suam urget Pontificius, *παρεσιω* C. Reformatus, *acceptilationem* Socinianus, *Solifidianismum* G. Bullus, Christum suum *uenturum* et *uentum*, Peterfenius, Christum *fiduciatum*, i. e. amorem, timorem, honorem, gaudium in Christo, quo iustificemur, Melodius, (*so gut der Glaube in Praedicamento relationis gerecht mache, so gut koenne es auch die Liebe, Furcht, Demuth und iede Christliche Tugend etc.* uid. Dn. GAVDELIZIVS, in *Melod. Lehr-Saezen*, P. IIX. p. 78. *seqq.*) subtili, uti putant, conatu, quae tamen nunc adeo, per inertiam frigidorum, qui mature contradicere debebant, erumpunt, ut rus quoque habitantes, inuadant, ibidemque, aliorum haud dubie armis induti, de fide operosa, in iustificationis momento, uelut de re, ad rusticorum salutem pertinente, cum uicinis disputent, superiorum monitiones, uti noua haec Pietas solet, elidant, multoque se, iis, sapientiores existimando, hos et alios errores impune, et fouere, et disseminare audeant. Hic ergo Ecclesiam nostram, monente Chemnitio, cum *leue et puerile studium explicationum uocabulorum non sit, et neglectus Grammatices fons fuerit et scaturigo omnium errorum in hoc articulo, decet esse Grammaticam* - - - quandoquidem, cum in Articulo de iustificatione *restituitur uera Grammatica enarratio uocabulorum, rursus restituta est puritas doctrinae, quantum enim erratur in uerbis, tantum etiam de rebus ipsis amittitur; contra uero aduersarii nostri, uti Apologia loquitur, poenas dant contemptae Grammatices.* LIBR. SYMBOL. p. 296. CHEMNITII *Loc. Theol. P. II. p. 217. et 246.*

VI.

Interim hoc Thema momenti insignioris est;

Nemo existimet, captari hic muscas, uel de argumento, leuioris momenti tractari, quando, num fides in momento iustificationis operosa sit? disquiritur. Hannibal sane, si iras animorum coelestium spectes, ad portas, et acropolis petitur, quam produnt turpissime, quotquot, conuiuere hic posse Ministros Dei, suo pro tempore, existimant. Minanti reditum Papismo hoc dogmate